



**R. P. Martini De Esparza Artieda, Navarri, Theologi Societ.
Iesv, Cvrsvs Theologicvs**

In decem Libros, & duos Tomos distributus, Ivxta Methodvm, Qva In
Scholis Societatis Iesv communiter traditur annis quaternis

Continens Primam Partem, & Primam Secundæ D. Thomæ. Ad Alexand.
VII. Pont. Max.

Esparza Arteida, Martin de

Lugduni, 1666

XIX. Vtrum locutio Dei per se ipsam immediatè, an per aliquid
manifestetur, & sufficienter proponatur credentibus?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94815](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94815)

negant credibilitatem Myſteriorum noſtræ fidei. Avertunt enim animum ab argumentis ſuperius productis, & à conſideratione operum ſupernaturalium Dei, & conuertuntur toto conatu ad rationes purè naturales; atque ita voluntariè ſe impediunt, quomòdò aſſequantur credibilitatem Myſteriorum fidei, eaque delectentur. Quod tamen perſeuerari ſine peccato contingit, ut dicetur inferius, & clarè patet nihil nocere evidenti per ſe credibilitati eorundem Myſteriorum: Vt cumque, qui illam ea ratione negant, ingenioli ſunt, & diligentes. Sunt enim diligentes non pro aſſequenda, & declaranda veritate; ſed pro ea obtenebranda, & remouenda à ſe per abuſum ingenij, & laboris, propter difficultatem ſuperius notatam doctrinæ Euangelicæ, præſertim, quæ practica eſt.

Ad 3. Deus eſt ſummè diligibilis; & tamen eius dilectio eſt meritoria præ omnibus aliis actibus virtutum. Poſſunt ergo ſimiliter myſteria noſtræ fidei eſſe ſummè credibilia, & nihilominus eorum fides eſſe ſummè meritoria ſuper omnes alios actus honeſtè imperabiles intellectui. Ratio utrobique eſt eadem, quia ſicut dilectio Dei opponitur dilectioni rerum temporalium, & ſenſibilium, quæ pollent maxima vi ad pertrahendam noſtram voluntatem, ita fides myſteriorum ſupernaturalium opponitur rationibus naturalibus, quæ propter ipſarum claritatem maxima vi pertrahunt ad ſe intellectum noſtrum. Atque aliud eſt eſſe evidenter, atque adeò facilem credibilitatem; aliud verò eſſe facilem ipſam fidem.



QVÆSTIO XIX.

Vtrum locutio Dei per ſeipſam immediate, an per aliquid aliud manifeſtetur, & ſufficienter proponatur credentibus?



IDEVR manifeſtari, & ſufficienter proponi immediate per ſeipſam. 1. Quia locutio humana manifeſtatur, & ſufficienter proponitur per ſeipſam: Deus autem loquitur ad inſtar hominum, ut apparet ex comparatione illa Ioannis, *Si teſtimonium hominum, &c.* de qua dictum eſt quæſt. 16. & præterea locutio Dei eſt magis perfectæ, & proinde magis efficax, quàm locutio hominis. Ergo non eſt minus ſufficiens, quàm hæc ad finem ſuum, qui eſt manifeſtatio ſui, & aliorum.

2. Locutio Dei eſt obiectum formale fidei. Credimus enim myſteria fidei, quia dicta ſunt à Deo. Si autem manifeſtaretur per aliquid aliud, eſſet obiectum materiale, utpote cognita ratione alterius.

3. Si eſſet de ratione locutionis diuinæ, ut innoſceret mediata, non poſſet fides, qua Deo creditur, componi cum evidentiā in atteſtante, quæ videlicet evidentiā in eo conſiſtit, quod immediate cognoscit, ac diſcernit loquentem, & eius locutionem. Poſteſt autem componi. Quia Angelus ſupremus, primam de rebus ſupernaturalibus notitiā non habuit per viſionem, ſed per fidem, eamque concepit, non alio docente, ſicut inferiores Angeli, qui per ipſum edocti fuere; ſed per immediatam perceptionem Dei cum eodem loquentis. Ergo locutio Dei terminans aſſenſum fidei, poſteſt immediate manifeſtari per ſeipſam.

4. Si locutio Dei, cui aſſentimur per fidem, cognosceretur mediante aliquo alio, nullum eſſet diſcrimen locutionis Dei naturalis perceptibilis per ſcientiā, à locutione eiſdem ſupernaturali perceptibili

per fidem. Quia locutio Dei, qua nobis naturaliter præcipit, conſulit, promittit, & minatur, legemque naturalem promulgat, percipitur mediātib. creaturis, nec eſt alia ratio, ob quam dicatur percipi per ſcientiā. Ergo etiam locutio ſupernaturalis percipitur non per fidem; ſed per ſcientiā, ſi mediante aliquo alio creato perciperetur.

Art. 1. Reſp. Locutio ad alterum, quæ ſola ad præſens ſpectat, eſt manifeſtatio proprii conceptus reſpectu alterius. *Nihil enim eſt aliud loqui ad alterum,* ut dicit D. Thom. 1. p. q. 107. ar. 1. *quàm conceptum mentis alteri manifeſtare.* Manifeſtatio iſta reſpectu hominis eſt duplex, alia interior, alia exterior. Exterior fit per voces articulatas, aut alia ſigna ſenſibilia illis æquivalentia. Interior verò fit remote per ſpecies impreſſas conceptuum loquentis, proximè per cognitiones apprehenſivas, aut indicativas ex illis ſubortas. Homo homini loquens ſolam exercet locutionem externam immediate; internam verò non niſi mediate, quia eius operatio circa alterum, cum ſit materialis, nequit perſtingere immediate ad potentias internas alterius. Deus autem, & Angelus poſſunt ob contrariam rationem exequi immediate locutionem etiam internam, tùm nullis præmiſſis exterioribus ſignis habentibus rationem locutionis, tùm ſuperaddendo novam locutionem locutioni exteriori, ultra vires manifeſtativas conceptus, convenientes illi ſecundum ſe præciſè conſideratæ.

Art. 2. Ruſus Angelus ſolum loqui poſteſt alteri, ſive Angelo, ſive homini, per cognitionem, aut actionem illatiam cognitionis, non liberæ audientis, ſive ad quam audiens non ſe determinet liberè. Deus autem loqui poſteſt per cognitionem etiam, quæ ſit libera audienti, & ad quam audiens ſe determinat liberè determinatione poſitiua, & directæ. Quia manifeſtatio poſita in definitione locutionis, accipitur à D. Thoma loc. cit. aliorumque communi conſenſu, ut dario, & donatio quædam pro manifeſtatione propria rationalis ſubſtantię, rationaliter, hoc eſt, liberè facta, cum poteſtate occultandi, quod manifeſtatur. Vnde homines rationis expertes dicuntur loqui propter ſimilitudinem, & imitationem præciſè, latiori quadam eius vocis ſignificatione, ad eum ferè modis, quo pſitaci, aliaque aues, & animalia cætera, loqui dicuntur per actiones, quæ manifeſtant internas eorum ſenſiones, ac aſtimationes. Cognition autem liberè concepta ab vna ſubſtantia nulli alteri ſubſtantię creatæ eſt libera ex natura rei abſolute, ſeu poſitiuè, ac directè: eſto dependeat ab actione libera alterius, poſſitque propterea eſſe negatiuè, & indirectè libera alteri. Quare libertas Angeli loquentis poſitiua, & directæ ibi interrumpitur, cuiusque proinde locutio terminatur, ubi incipit libertas audientis dependenter ab actione libera loquentis. At Deo ſunt liberæ omnes, & ſingulæ actiones creaturarum, non minùs, ſed multò magis, quàm ipſis creaturis, ac proinde ſunt illi liberæ, non tantum indirectè, mediate, aut negatiuè, ſed etiam poſitiuè, & immediate. Quare Deus loqui nobis ulterius poſteſt per illam ipſam cognitionem, qua audimus, & percipimus priorē aliam eius locutionem, eique liberè aſſentimur. Diſcrimen iſtud libertatis diuinæ, & creatæ quoad actiones liberæ aliorum, conſtat partim ex dictis quæſt. 19. de Grat. circa gratiam præuenientem, & clariùs ex q. de Prouid. Dei, & Prædeſt. eo que ſuppoſito diſcrimine, nulla eſt de reliquo difficultas in dictis.

Art. 3. Locutioni tam internæ, quàm externæ conuenit, iuxta definitionem datam, eſſe manifeſtatiuam conceptus. Eſt verò eius manifeſtatiua præciue quoad duo. Manifeſtat enim cuiuſnam ſit conceptus, & qualis ſit, ſive circa quod verſetur obiectum, & an affirmatiuè, an negatiuè, & ſic de cæteris conditione

conditionibus eius, quatenus respicientis obiectum. Locutio Angeli cum Angelo, necnon Dei cum beatis manifestat conceptum loquentis euidenter quoad utrumque, saltem ut plurimum, & iuxta ordinarium modum loquendi. Idemque à fortiori est verum de locutione similitudinaria cuiusque secum, & propria cum Deo. Quia videlicet omnes istae locutiones exhibent conceptum loquentis videndum ut est in seipso, ab audiente.

Art. 4. Locutio hominis cum homine, per se quidem semper, atque ut plurimum, etiam de facto est coniuncta cum euidenti manifestatione conceptus, quoad eius auctorem, qui coincidit cum auctore ipsius locutionis; quia haec locutio est sensibilis, & fit per actionem sensibilem, & habet auctorem item sensibilem, ideoque mediante sensu potest euidenter percipi ab audiente, quis sit auctor locutionis, & conceptus per illam manifestari. At eadem locutio manifestat obicure qualitatem conceptus; quia fieri potest, ut conceptus re ipsa praexistens in loquente, non sit qualis per locutionem significatur, aut non sit conformis obiecto, licet sit conformis locutioni. Quare utraque conformitas superest credenda audienti, ut dependenter à locutione ferat iudicium conforme eidem locutioni, circa obiectum significatum per ipsam; quandoquidem inspicere immediatè non potest internum loquentis conceptum, ut est in seipso, neque cognoscere euidenter eius conformitatem, aut cum locutione, aut cum obiecto prout significatur per locutionem. Itaque locutio hominis cum homine, est coniuncta, ut plurimum, cum euidentia de auctore locutionis, & conceptus manifestati per illam; gignit verò solam fidem, & non euidentiam de conformitate conceptus cum locutione, & cum obiecto significato per ipsam; atque haec fides concipitur per se magis, aut minus certa, & cum minori, aut maiori adhaerentia, iuxta gradum opinionis praconceptae de peritiis, & veracitate loquentis.

Art. 5. Locutio diuina cum homine viatore manifestat è conuerso, obicure auctorem suum, & conceptum per eandem significatum; totaque obscuritas eius, & iudicij dependenter ab eadem lati ab audiente in hoc punctum vnicè reuocatur. De cælo enim euidentissimum est, si conceptus per locutionem significatus, sicut, & ipsa locutio auctorem habeat Deum, esse conformem obiecto, & locutioni, id est, esse verum, & veraciter manifestatum, utpote proprium eius, quem euidenter est, nec falli posse, nec fallere, velle. Quare iudicium ab homine viatore conceptum de re aliqua, dependenter à diuina locutione, est obicure præcisè per denominationem ab obscuritate circa auctorem locutionis. Iudicium verò conceptum dependenter ab humana locutione, est obicure, saltem ut plurimum, præcisè per obscuritatem circa peritiis, aut veracitatem loquentis.

Art. 6. Ex hoc discrimine locutionis diuinæ, & humanæ consequitur aliud. Nimirum totum conatum hominis volentis, ut sibi fides adhibeatur, ed tendere, ut demonstret inesse sibi legitimam rei de qua loquitur, notitiam, & sinceram voluntatem manifestandi conceptum, qualis re ipsa est: conatum verò Dei ed præcisè tendere, ut ostendat se esse auctorem locutionis, cui vult, ut credatur sine formidine. Hac de causa Christus Dominus fuit sollicitus in demonstranda origine, & auctore Doctrinae suae tum alias sæpè, tum Ioan. 7. 16. dicens. *Mea Doctrina non est mea, sed eius, qui misit me, Patris.* Idem apparet clarè ex testimoniis expensis qu. 16. & apud Prophetas frequenter præfatur Deus, se esse eum, qui loquitur, nec Prædicatores Evangelici, quidquid aliud tam impensè curant, exemplo Apostoli ponderati in eadem illa quaestione, ad cõciliandam fidem Doctrinae suae, quam, ut persua-

deant eius auctorem esse Deum; quo scilicet semel admissio, de reliquo dubitari nihil potest.

Art. 7. Distinguenda itaque est duplex Dei locutio, tam interna, quam externa seu potius duplex formalitas in eadem locutione, alia directæ manifestans obiectum distinctum à locutione, & eius auctorem, quatenus auctor eius est; alia reflexa, manifestans auctorem sui, & locutionis directæ, esse Deum. Externa Dei locutio directæ, seu quatenus directæ est, peragitur, iuxta Providentiam ordinariam, vocibus articulatis, & verbis significantibus ad placitum; unde Paulus dixit. *Fides ex auditu.* Ad istam locutionem consequuntur necessariò simplices apprehensiones credendorum inclinantes, quantum est de se, ad assensum eorum; similiterque consequitur iudicium euidenter, aliquem esse auctorem locutionis, qui per eam exigit eundem assensum; iisque apprehensionibus, & iudicio peragitur locutio interna directæ, seu quatenus directæ.

Art. 8. Locutio Dei externa reflexa, seu quatenus reflexa est, perficitur miraculis, aliisque operationibus supernaturalibus indicatis quaest. proxime præcedenti. Hinc Augustinus dicit epist. 49. quaest. 6. *Deus mirabilibus etiam factis loquitur:* & significantius, magisque è re præsentis lib. 22. de Ciuit. c. 5. *In tam contemptibilibus rebus* (quales fuere primi Prædicatores Evangelij) *multo mirabilius Diuinitas se ipsam persuasi. Eloquia namque persuadentium, quæ dicebant, mira fuerunt facta, non verba.* Vbi clarè significatur miracula patratæ ab Apostolis, fuisse locutionem reflexam Dei, utpote manifestantia diuinitatem auctoris; tum eorumdem Miraculorum, tum eius Doctrinae, quæ ab Apostolis dicebatur, & docebatur, quod ipsum non obicure innuitur Marci ult. vbi Miracula dicuntur cooperatio, & confirmatio Sermonis Apostolici, quatenus prædicauerunt ubique Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis.

Art. 9. Et sanè ex natura ipsorum miraculorum, quæ figuratiua non sunt, satis apparet ad hoc solum directè, & immediatè ea deferuire posse, ut ostendant auctorem Doctrinae cui adiciuntur, esse Deum. Nihil enim ratione sui directè determinant circa qualitatem credendorum, & circa eorum veritatem; eodem namque modo informarent intellectum, quantum est de se, tamen si Deus per possibile, vel impossibile, reuelaret omnia opposita iis, quæ reuelat de facto, possetque mentiri, & vteretur reuelatione falsa. Eatenus ergo præcisè ostendunt veritatem eorum determinatè articulorum, qui de facto reuelantur, quatenus ostendunt, Deum esse auctorem reuelationis eorum, qui solus est omnipotens; solusque proinde potest miraculis complere locutionem suam, & comonstrare suam esse. Idem dicitur ceteris effectibus supernaturalibus attrahis quaest. præced. inter exponendum argumenta nostræ fidei, quæ omnia fundantur in operibus per se mirabilibus, & supernaturalibus.

Art. 10. Ex ista locutione reflexa, seu quatenus reflexa est, consequitur necessariò simplex apprehensio Dei loquentis, seu repræsentans Deum, ut auctorem locutionis, tum huius reflexæ, tum prioris directæ. Rursus ad istam simplicem apprehensionem determinatam de Deo auctore locutionis, coniunctam cum simplici apprehensione vaga, paulo prius notata circa locutionem directam, de aliquo loquente, seu de aliquo auctore locutionis exigente fidem eorum, quæ dicit; subsequitur necessariò iudicium euidenter affirmans esse credibile, auctorem utriusque locutionis esse Deum, nec posse absque irreuerentia aduersus eius auctoritatem, vique adeo manifestantem sese, id in dubium reuocari; Atque adeo adesse obligationem imperandi intellectui, ut amplectatur utramque locutionem, tanquam diuinam, & quæ assentiatur, tanquam

veris & certissimis, iis, quæ per utramque significatur. Nempe argumenta Christianæ fidei, mediantibus illis apprehensionibus fundant sufficienter, pariuntque necessariò iudicium istud evidens, ut liquet ex quæst. præced. Posito autem isto iudicio, facile perspicitur subsequi immediatè posse, & quomodo subsequatur actus voluntatis imperans intellectui, ut credat Deum loqui, & verum esse, quod dicit, quia ipse utrumque dicit; & quo modo hoc ipsum postea immediatè credat, ac affimet intellectus, per necessariam obedientiam, & subordinationem ad potentiam imperantem circa obiectum sufficienter propositum, & apparens. Is porò apprehensione simplici de Deo auctore locutionis exterioris, & iudicio evidenti de eius rei credibilitate perficitur locutio Dei interior.

Art. 11. Notandum est attentè, istam locutionem interiorem, non subiungi à Deo, post qualemcumque locutionem exteriorem, seu propositionem exteriorem locutionis suæ, & credendorum. Ostensum namque est quæst. 17. prærequiri ad credendum fidei divinam iudicium evidens de credibilitate per eandem fidem, & adiectum est quæst. proximè præcedenti, Evidentiam huius iudicij fundari in argumentis Christianæ fidei, quæ inibi recensita sunt. Patet autem, eiusmodi iudicium non posse suboriri ex qualicumque credendorum propositione, si enim Deus non proponatur tanquam auctor locutionis, & Doctrinæ, nullum poterit formari iudicium de credibilitate per fidem Divinam, ut patet: Similiterque patet istud iudicium non posse formari evidens nisi proponatur effectus aliquis supernaturalis, & proprius Dei, per quem Deus ostendat se esse auctorem eius locutionis, quique proinde contineat in se Argumenta Christianæ fidei, vel formaliter, ut proposita sunt in ea quæstione, vel æquivalenter, ut inibi aduertit D. Thomas.

Art. 12. Istas condiciones propositionis Articulorum, necessariæ, & sufficientis ad credendum, assignat distinctè, & clarè Apostolus. 1. ad Roman. 15. dicens: *Quomodo credent ei quem non audierunt? Quomodo autem audient sine prædicante? Quomodo verò prædicabunt nisi mittantur?* Triplici ista interrogatione docemur tria dogmata circa propositionem credendorum: modusque ea tradendi significat ea habenda esse pro Principiis indubitatis, ac veluti primis in schola Dei. Prima interrogatio statuit proponendam esse doctrinam Evangelicam, tanquam divinam, & non tanquam propriam proponentis, ut auctoris; sed auctore Deo traditam, ut is audiatur loquens, cui oportet credere. Oportet autem credere Deo, ut ibi immediatè præmittitur; & quomodo ei credetur, si non audiatur, aut per se, aut per alium loquentem tanquam principalis auctor locutionis?

Art. 13. Secunda interrogatio ostendit contra hæreticos huius temporis, locutionem Dei ordinariam, & communem multitudini fidelium, absque distinctione Iudei, & Græci, ut dicitur ibidem, non peragi per solam internam illustrationem, & inspirationem; sed per exteriorem propositionem divinæ revelationis, cuius perceptioni, & non aliter subinfertur à Deo interna ea illustratio, & inspiratio, ita ut non possit audiri, nec velit docere interiùs Deus, nisi audito priùs, & docente exteriùs verbum Dei idoneo eiusdem Ministro. Alias enim non esset impossibile, quod impossibile esse supponit apertè Apostolus, dum ait: *Quomodo audient sine prædicante?* Modo scilicet humano, & maximè proportionato humanæ conditioni, addiscenti, ac disciplinabili per sensum iuxta suam naturam, propter dependentiam innatam intellectus à phantasia, & huius à sensu exteriori.

Art. 14. Tertia interrogatio exponit latentius aliud, maximè momenti documentum. Nimirum quif-

nam sit idoneus Minister exterioris locutionis Dei Pronuntiatur autem idoneus is solus, qui missus fuerit. Intelligitur verò, dum aliud non exprimitur, missus à Deo, nempe ab eo, cuius nomine, iuxta priores immediatas interrogationes, loquitur. Missio ista pro euulgatione noni Testamenti cœpta est à Deo in Christo, iuxta testimonium ipsius paulò priùs citatum; *Sed eius, qui misit me, Parris.* Et illud ista interpretatum ab eo, de se ipso Lucæ 4. 18. *Evangelizare pauperibus misit me.*

Art. 15. Secunda Prædicatorum missio facta est à Christo Domino, dicente Apostolis Matth. ult. *Evangelizate in Mundum uniuersum prædicante Evangelium omni Creatura.* Continuata deinde est, & ad finem vique mundi continuabitur à Petro, & eius successoribus. Quibus videlicet omnibus commune est, quod Ioan. ult. dicitur Petro. *Pasce oves meas.* Et quod Matth. 16. dicitur eidem. *Tibi dabo Claves Regni Cælorum.* Hoc namque munus pascendi, & gubernandi fideles, datum est Petro, tanquam fundamento, supra quod adificata est Ecclesia Dei. Ecclesia verò semper duratura, & aduersus quam nunquam Portæ Inferi præualebunt, ut liquet ex eodem loco Matthæi, alijque, quæ fusiùs prosequuntur Controuersistæ Catholici. Pascere autem mundum uniuersum sana doctrina, & dirigere in vitam æternam, nec Petrus potuit, nec eius successorès immediatè per se ipsos, eaque propter simul cum eo munere accepere, per necessariam consequentiam, potestatem, qua & vñ semper sunt, mittendi Prædicatorum Evangelicos, qui, uti à Deo missi, mediante eius Vicario, habent semper assistentem sibi, primi, ac principalis mittentis Dei virtutem, quæ plantationi, & irrigationi exteriori hominum dat interiùs incrementum.

Art. 16. Neque verò sufficit, ut qui proponit Doctrinam Fidei, sit reipsa missus à Deo, seu mediatè, seu immediatè, missione materialiter, & purè concomitantè se habente ad prædicationem: sed necesse est, ut loquatur formaliter, tanquam missus, id est, ut tradat doctrinam, quam prædicat, tanquam propriam Mittentis; Id est Christus; ut propriam Dei, & insuper, ut acceptatam à tota Ecclesia, & approbatam à Supremo eius Pastore, eodemque Christi Vicario. Cum enim, qui loquitur Missus quidem à Deo, aut eius Vicario, sed missione se habente purè materialiter, ac concomitantè, nihil eatenus differt ab eo, qui non est missus: sed loquitur ex proprio spiritu, aut ex destinatione purè humana, consequens est, ut nullam habeat specialem idoneitatem præ isto, qui est prorsus idoneus ad propagationem Fidei. Habet autem qui est missus, ratione Missionis, etiam ex natura rei, ut infra magis explicabitur, specialem idoneitatem, exclamante Paulo: *Quomodo verò prædicabunt, scilicet vtiliter, ac sufficienter, nisi mittantur?* Debet ergo loqui, tanquam Missus, modo dicto is, mediante cuius prædicatione creditur Deo fide salutari, & vtili in vitam æternam.

Art. 17. Prædicatio porò, & propositio mysteriorum fidei facta cum iis circumstantiis, ita est necessaria, ut sit etiam sufficiens, & vltimò completiua locutionis divinæ; ac proinde inductiua obligationis credendi, ne dicatur esse insufficiens expositio Prædicationis Evangelicæ, mediante qua creditur Deo, exhibita ab Apostolo. Quapropter idem Apostolus ibidem post eam expositionem subiungit; *Sed non omnes obediunt Evangelio.* Quasi diceret, posita Evangelij propositione, qualem præmiserat, ita posse audientes salutarem fidem concipere, eandemque plures de facto concipere, ut nihilominus possent eidem dissentire, & aliqui dissentirent de facto. Non tamen possent dissentire, quin eo ipso peccarent, per inobedientiam legis credendi. Hac enim de causâ exponitur actus non credendi,

credendi, seu omissioni fidei, per actum non obediendi, seu omissionem obedientie debita præcepto credendi incluso in locutione divina sufficienter percepta.

Art. 18. Constat igitur ex dictis, qualis, & quod duplex sit locutio divina; quid differt ab humana, & creaturalem & unde vim habeat gignendi actum fidei divinæ, & dependenter à qua, & quali eiusdem propositione, & quod caput est, locutionem Dei non posse innoscere, ac manifestari immediate per seipsam, sed mediante creata, ac sensibili propositione, qualis declarata est.

Ad 1. Locutio humana est immediate sensibilis, & habet auctorem sensibilem, ut dictum est. At Deus est insensibilis, & signa sensibilia significata ad placitum, quibus manifestat nobis suos conceptus, non habent manifestam connexionem cum ipso. Unde oportet, ut alia præterea indicia adiciantur, quibus innoscat, ipsum esse eius auctorem. Quare comparatio illa Ioannis non tenet, quoad hoc punctum; quia, ut notatum fuit quæst. illa 16. Locutio divina est similis humanæ, seclusis imperfectionibus, quarum una est sensibilitas loquentis, & actionis, qua loquitur. Maior efficacia locutionis divinæ in hoc consistit, quod cum sit occultior, & obscurior quatenus divina est, parit tamen assensum firmiorem, & circa difficiliora, ac profundiora.

Ad 2. Locutio Dei externa, & ab ipso distincta realiter est obiectum formale fidei quoad apprehensiones terminorum, & quoad iudicium de credibilitate credendorum. Obiectum autem formale assentiendi per actum fidei, est locutio Dei interna, identificata cum ipso, quam ostensum est, non manifestari homini viatori immediate per seipsam. Potest autem obiectum mediatè apprehensum, immediate movere ad assensum: Atque id præstat auctoritas divina.

Art. 1. Ad 3. Tota obscuritas fidei divinæ est quoad auctorem locutionis, cui creditur. Quare cognitio evidenter, Deum esse auctorem alicuius locutionis, nullus relinquitur locus obscuritati fidei; consequenter nec ipsi fidei. Notum enim cum sit ex terminis, quidquid dicit Deus, esse verum; repugnat profectò, ut sit evidens aliquid esse dictum à Deo, quin simul, eodemque modo sit evidens, illud ipsum esse verum. Ex vi autem revelationis divinæ nil omnino aliud cognosci potest, seu obscure, seu clarè de mysterio revelato, quam ipsum esse verum. Cognito ergo evidenter, & clarè mysterium, quod revelatur, esse verum, uti profectò cognoscit, quicumque cognoscit evidenter, & clarè illud esse dictum, & revelatum à Deo; nil superest, quod per fidem ulterius cognoscatur obscure circa idem mysterium ex vi eiusdem revelationis; tamen si mysterium maneat interim obscurum quoad quidditatem, & alia prædicata propria ipsius; cuiusmodi obscuritas datur etiam in qualibet cognitione scientifica non comprehensiva sui obiecti, cum necesse sit ea ipsius prædicata manere obscura, quæ adhuc latent, seu quæ nondum cognoscuntur explicitè. Unde talis obscuritas nil facit ad propositum, cum obscuritas propria fidei sit penes illud ipsum prædicatum, seu prædicata, quæ per ipsam cognoscuntur explicitè.

Art. 2. Confirmatur, quia repugnat cognitionem esse claram, & evidentem quoad suum motum formale, quin sit tantumdem clara, & evidens quoad suum obiectum materiale, quatenus hoc illi subest, uti observat optime D. Thom. 2. 2. quæst. 5. artic. 1. c. ubi hac ratione negat Angelis evidentiam in attestante, ut eisdem concedat fidem propriè talem mysteriorum, qua indigebant, quidquid renitatur ibidem opere Caietani. Nempe motuum formale indivisum, eodemque modo movet ad cognitionem

R. P. Esparza Curs. Theol. Tom. I.

sui, & obiecti materialis sibi subordinati. Distinctio porro vulgaris de evidentia dicti, & rei transferatur ad terminos similis distinctionis, iuxta dicta de evidentia dicti, & veri, & apparebit inanitas. Itaque Angelus supremus habuit quidem immediate à Deo notitiam rerum supernaturalium, quam subinde ceteris ipse communicaret; non tamen eam accepit à Deo immediate manifestante se, suamque internam locutionem; sed reddendo credibile, se esse auctorem locutionis per effectus, & indicia supernaturalia, ad eum modum proportionaliter, quo dictum est fieri respectu hominum. Nempe assensus existentie revelationis divinæ conceptus ex vi eiusmodi effectuum, ac indicatorum, tanquam ex motivo immediato assentiendi, est fides coacta, propria demonum, non illa laudabilis, & propriissime talis, propria fidelium, & Angelorum, & hominum, ut tradit ex professo D. Thomas in illa quæst. 2. contentiente eatenus Caietano ibidem.

Ad 4. Locutio propriè talis est libera manifestatio conceptus interni, ut dictum est ex D. Thoma, & aliis. Quapropter conceptus unus naturali necessitate, & non libera electione manifestati, seu manifestabiles alteri, non manifestantur per locutionem propriè talem; sed deprehenduntur scientiæ per discursum, mediantibus non signis ad placitum, sed effectibus naturalibus. Iam lex Dei naturalis, omnisque directio divina, respectu hominis purè naturalis deprehenditur hoc posteriori modo per discursum fundatum in natura ipsius hominis, aliorumque effectuum naturali necessitate subsequentium ad eius existentiam; ideoque non manifestantur per locutionem propriè talem. At Mysteria fidei innoscentur per effectus liberè à Deo superadditos, nec naturali necessitate subsequentes ad existentiam hominis, & per signa ad placitum, aliosque effectus primariò, & principaliter ordinatos ad manifestationem divinæ cognitionis, & aliorum obiectorum quatenus substantiam eidem cognitioni. Differunt ergo clarissimè inter se locutio Dei naturalis, & supernaturalis, quæque est perceptibilis per solam fidem, ab ea, quæ est perceptibilis per scientiam, licet utraque innoscat mediantibus effectibus creatis; de quo iterum dicetur infra.



QVÆSTIO XX.

Vtrum Fides divina ultimò resolvatur in primam veritatem reuelantem?



IDEUM non resolui. 1. Quia propter id unusquisque credit, propter quod iudicat esse credendum. Sed propter Miracula, Prophetias, & cetera argumenta fidei unusquisque iudicat esse credendum, ut apparet ex quæst. 17. & 18. Ergo propter eadem credit; ac per consequens in illa resolvitur ultimò Fides.

2. Non est per se notum, Deum esse primam veritatem, & multò minus primam veritatem reuelare hic & nunc hoc mysterium. Ergo utrumque innoscit ex alio. Ergo in neutrum eorum, sed in hoc aliud resolvitur ultimò nostra Fides.

3. Omnis cognitio unius obiecti ratione alterius continet in se formaliter, vel æquivalenter discursum constantem ex duabus præmissis; quia nulla propositio se sola potest inferre aliam; sed est necessaria conjunctio duarum, per quas conferantur inter se termini, quorum identitas, vel distinctio cognoscenda est

22 2 ratione